



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniae Agrippinae, 1634

Capvt XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

Monachis ac Religiosis in Dania ianuam quasi aperuerit, aditumque patefecerit. Tam læto atque exoptato itaque, tamque tranquillo ac quieto rerum statu, mirum non est, si Ezico placidè ætatem exegerit. Nam & ante Slauorum irruptionem, & motum qui paulò post sequutus est, diem suum obiit. Talis itaque fuit status Ecclesiæ, quamdiu vixit Ezico. (*Ezico ad Egdoram perueniens, aegritudine correptus migravit è viuis. Ad. glossa. c. 46. 2. & Annal. fol. 117. Idem anno 1029. factum esse scribit. Ada. cap. 38.*)

C A P V T X V.

VT autem historiam Canuti resque; id temporis gestas ulterius persequar. Canutus Rex, Angliam deuictam, cum Episcopos aliquot in Daniam adduxisset, indignè admodum hoc ipsum tulit Vnvanus Archiepiscopus Hamburgensis, ideoque Gerbrandum ex Angliam redeuntem in custodiam tradidit, eam de causa, quod d is incio & inconsulto Vnvano, ab Eltrodo Anglorum Archiepiscopo ordinatus esset. Gerbrandus quo carcere liberaretur, Vnvano fidem ac obedientiam promisit. Nam & illum liberaliter habitum Vnvanus sibi summam familiaritate deuinxerat, eo tempore, quo detentus esset, ut hac ratione de iniuria illata Gerbrando aliquo pacto satisfaceret, eumque sibi offensum iterum amicum ac placatum redderet. Itaque priusquam eam de re Rex certior factus esset, Gerbrandum unam cum suis ad Regem mittit cum muneribus (A. c. 38.) Vnvanus, qui ei de rebus in Angliam feliciter gestis gratularetur; eumque de Episcoporum in Angliam factam electione reprehenderet & obiurgaret.

ret. Rex vbi comperisset factum, etsi commotus, iniuriam tamen & contumeliam Gerbrando illatam, pro suâ, erga Episcopum, Dei ministrum, obseruantiam & amore, mussitauit, & æquo animo tulit. Et post id tempus Archiepiscopo ad eum deditus & coniunctus fuit, vt ex eius sententia omnia faceret. (A. c. 38. 2.) Et hæc se à Suenone Estritio accepisse refert Adamus. (*ibidem.*) Vnyvanus etiam eos, qui ex Anglia subeundo docendi & prædicandi muneri destinarentur, humanissimè recepit, & donis muneribusque pellexit, vt Ecclesiæ Hamburgensi obedientiam sponte præstarent. (Anno 1022. Kanutus multos in Daniam ab Anglia adduxit Episcopos. De quibus Bernardum posuit in Sconiam, Gerbrandum in Selandiam, Reinherum in Fune. Quod zelatus Vnyvanus, Gerbrandum redeuntem ab Anglia cepit, quem ab Eluodo, Anglorum Archiepiscopo ordinatum esse cognouit. Ille verò, vt necessitas persuasit, satisfaciens, fidelitatem Bremensi Ecclesiæ, cum subiectione debita spondens, familiarissimus deinde Vnyvano effectus est. Per quem & suos Legatos ad Knut Regem cum muneribus transmittens, congratulatus est ei, de rebus benè gestis in Anglia, sed corripuit eum de præsumptione Episcoporum, quos transtulit ex Anglia. Quod Rex grauiter accipiens, in posterum coniunctus est Archiepiscopo, vt ex sententia eius omnia deinceps agere maluerit. *Annal, fol. 115.*) Canuto regnante lateres illi incocti, vel pumices (vulgo Duffstein/) ex Anglia in Chersonesum Slesuicensem nauibus aduecti sunt, Ex quibus templa quædam ædificata fuerunt Slesuici, & illud quod Hollingstedij conspicitur. Sed & templum Haddebuiense, & Monasterij Slesuicensis, in quo Virgines Deo dicatæ nobiles viuunt, ex his lateribus magna ex parte conflatum est. In quibus & lapides sepulchrales pedis pastoralibus insignitos cernere licet, in memoriam Pastorum, & ministrorum verbi Dei, qui illic humati

humati sunt. Nam cum vni & eidem Regi Anglia & Dania tunc temporis pareret, cœperunt Angli merces suas Slesuicum nauibus asportare, vbi Emporium eo tempore celeberrimum & opulentissimum erat, quòd facilis esset & breuissima transmissio ex Angliâ Hollingstedium, quas inde Slesuicum ad mercatum plaustris transfuehendas curarunt. Indicio sunt ædificia illa quæ adhuc ex pumicibus conflata, Slesuici & Hollingstedij conspiciuntur & exstant. Nam ea ab Anglis exstructa, & mercium condendarum & venum exponendarum causa, à mercatoribus facta esse, monumenta, quæ supersunt, satis indicant. Vtraque aurem domus, vrbe postea diruta & euerfa, & quòd, vt à maioribus nostris proditum est, Anglorum discessu cessarent commercia, in templa conuersa est, & quidem Slesuicensis in ædem sancti Spiritus. Cui etiam deinceps turres duæ altæ & elegantes, sumptibus ciuium locupletum & religiosorum adiectæ fuerunt, quarum altera adhuc nostrâ ætate facta tectaq; permansit, & anno 1593. tecto & culmine, quòd ruinam minari videretur, primùm nudata & spoliata fuit. Ædem autem ipsam non multò ante destructam esse nouimus, fatali vrbe nostræ casu, quæ iam quadringentis plus minus annis, tot ærumnis & calamitatibus fatigata & vexata, in vicum, teste *Saxone*, redacta est, vsque adeò, vt nec templa, fana, aliaque monumenta, quibus vrbs abundauit plurimis, à maioribus ædificata, posteritas facta tecta præstare potuerit, vt rectè ille scripserit, ἀποθήσκουσι πόλεις ὡς αὐτὴ καὶ ἀνδρῶποι. ἢ ἴθι ἀπόλωλεν ἡδὴ καὶ αὐτὴν ἰχίθι εἰλεῖται αὐτῆς.

In Charonte. Quid, quòd & spolia ex Anglia in Dania & Ducatum Slesuicensem aduecta esse constat, & inter alia imagunculas & simulacra templo Slesuicensi dicata: Laminas item & massas altaria solida referentes, quæ extrinsecus splendide deaurata,

rata, magni quis precij & solida esse, existimaret, cum tamen ex ære vel cupro conflata essent. Sed & plumbum, quo templa penè omnia in Chersoneso Cimbricâ tecta cernuntur, regnante Canuto, & aliquot post annis, quibus Anglia Danis paruit, ex Angliâ transportatum esse, constat; quòd Reges Daniæ, qui tunc rerum potirentur, subditis & popularibus suis merces omnis generis ex Britannia exportandi potestatem facerent, & quidem vel nullo vel exiguo pretio.

CANVTVS Rex, tandem mortalitatis suæ memor, dum adhuc in viuis fuit, Roma reuersus, Regna, quæ possidebat, inter Filios diuisit, & tandem pie ac placide in Christo obdormiuit Anno 1036.

CANVTVS III. siue Durus, Rex Daniæ 68. vt Norvegiam Daniæ coniungeret, cum Magno transiit, vt, quicumq; post alterius fatum superstes esset, is Regna Daniæ & Norvegia solus obtineret. In Nuptijs subito exspirauit.

SVENO ex Alfgiua natus Norvegia Præfæctus & Rex. Anno 1039. post Patrem per 4. annos. Obijt 1040.

KNVTONEM autem Suetiæ & Angliæ solum hæredem reliquit. Norvegia regnum inuasit Sueno, quod tunc obtinebat Magnus diui Olai Filius. Cumque diu multumq; certatum esset, tandem post longam disceptationem inter eos conuenit, vt vter alteri superstes esset, is vtroque Regno potiretur, hoc est, Daniæ & Norvegia. Quæ pacta Procerum consensu & Iureiurando firmata fuerunt. Cumq; Canutus alteri præmortuus esset, Magnus vigore fœderis iurati, vtriusque Regni Rex exortus est.

MAGNVS I. dictus Bonus, Rex Norvegia, per pactum hereditarium de mutua successione cum Canuto initum Rex Daniæ 69. Vandalos in Iutiam irrumpentes repressit, 15000. apud Heydebuy cæsis, anno 1048. obiit. Cuius Filia Gifula Ordolpho Electori Saxonie, de familia Billingorum nupta, à Vandalis supplicio affecta. Hoc

Hoc tempore serenitatem & pacem diuturnam tempestas maxima consecuta est. (*Adam. c. 59. lib. 2. latè.*) Nam mortuo Canuto Magno, Wandalī bel-landi cupidi in Iutiam de improviso irrumpunt, eamque populantur. Quibus rebus nunciatis, Magnus collecto exercitu eos reprimere conatur. Cui Princeps Vandalorum Ratibor, vir inter barbaros magnæ authoritatis ac potestatis, confertissimo agmine validaq; copiarum manu instructus obuiam procedit. Ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum est, sed tandem Ratibor victus, grauiterq; vulneribus confectus occubuit. Ratiboris filij, quos octo superstites reliquerat, cladem acceptam vlturi bellum renouant, quòd armis exercitati multisque præliis experti essent. Sed parum feliciter. Nam omnes ad internecionem cæsi sunt. Vandali victi magno dolore affiebantur. Interim tamen vindictæ cupidi occasionem quærunt belli redintegrandi, quæ paulò post satis commode atque ex sententia sese illis obtulit. Nam cum bello acerrimo atque grauissimo aduersus Suenonem Magnus distineretur, longiusq; abesset, Vandali rursus in Ducatum Slesuicensem impressionem faciunt, eumque Ripam vsque depopulantur & diripiunt. Rex Magnus è Nordmannia rediens Heydebium appulit, (*Ada c. 59. Annal. ÷isdem verbis. fol. 121.*) deque his rebus certior factus dubitauit, Suenonemne in bello persequi, an exercitum Slauorum, qui Iutiam inuasississet, profligare & expellere, magis è re regni atque vsu suo foret. Tandem re cum Proceribus deliberata, cunctorum suffragiis vnanimiq; consensu placuit ac decretum fuit, Wandalo ex Iutiâ abitionem paranti prius occurrendum, iterq; obstruendum ac intercludendum esse. Itaque ne elabendi facultas daretur in Isthmo ad Heidebuiam, hoc est, Slesuicum expectare constituit, quoad Vandalus

veni-

veniret. Omnibus ad pugnam paratis Vandalum occurrentem prope Slesuicum, ad Sliam flumen in campetribus Heideby intrepidus excepit, (*Ad. c. 59.*) & quasi de victoriâ certus, confidenti ac imperterito animo aggreditur, idq; quod in somnis vidisset, se in ista pugna victorem fore, cui euentus respondit, hoste partim cæso, partim in fugam verso. In eo prælio ad quindecim mille occubuisse ferunt. (*Annal. Qui Danorum copiis collectis, egredientes à Dania VVinulos in campetribus Heidaba excepit, & quindecim millibus occisis, facta est pax & letitia Danis omni tempore Magni. fol. 121.*) Felicissimo hoc rerum successu insigniq; hac victoria de hostibus reportata, Magnus apud suos laudem maximam, & Boni cognomentum adeptus est, Regnumque deinceps in pace & quiete administravit: qua & eius subditi Christiani à Slavis hæctenus grauius afflicti, omnibusque fortunis spoliati, ac fere ad summam inopiam ac egestatem redacti, deinceps læto ac tranquillo animo tempore Magni perfruebantur.

Sternitur vt Sclauus (mox vita est dura Rodolpho)

Tristis, cum natis tota cohorsq; perit.

Tunc magnus studuit flamen Patriarcha vocari.

Rege sed inuito spe cadit ipse sua.

A. C. 1038.

Circa hæc tempora Rodolphus Episcopus Slesuicensis exortus & creatus est, à Bezelino Alebrando Archiepiscopo Hamburgensi legitime consecratus ac missus, cui antea Sacellanium egerat. (*Anno M. xxxix. Bezelinus, pro legatione sibi ad gentes credita, amore Prædecessorum suorum sollicitus, Coadiutores prædicationis sue ordinavit Episcopos, Rodolphum è Capellanis suis in Sliasvig, Abellinum in Slauoniam, VVala Bremensi è Choro in Ripam. Annal. fol. 119.*) Adamus cap. 58. l. 2. Magnus Daniae Rex, qui Canuto Duro successit, Dania & Norvvegia Regnum obtinuit.

nuit. Ad eum Archiepiscopus Bezelinus (qui & Alebrandus nominatus fuit) venit Slesuicum, colloquendi causa. Habebat in comitatu secum Ducem Bernardum & Thiadmarum Episcopum Hildimensem, nec non Rodolphum Slesuicensem. Thiadmarus natione Darius, antea Tymmo dictus, eò quoque venit cum Regina Gunildâ, filiâ Canuti Magni, cuius commendatione ille ad Episcopatum Hildimensem euectus erat. Ibi tum de nuptijs agi ceptum est, reque diu deliberata & transacta, Magni Regis soror, Ordolpho filio Ducis Saxoniae desponsata, & postea domum deducta fuit. Nuptijs vix peractis ac celebratis, Ordolphus Dux, in gratiam cognati, Danorum quendam Principem Româ ab Apostolorum liminibus redeuntem trans Albiam obruncavit, nihilque tale merentem (*innoxium. Annal.*) idque quòd Regiâ stirpe prognatus, propior Regno, quam Magnus videbatur. Ea res initium dedit turbis ac calamitati, quâ familia Ducis postea misere affecta ac perturbata fuit. (Eodem tempore Filius Olaphi Martyris Magnus nomine regnavit in Daniâ simul & Norvvegiâ.) Bezelino (qui & Alebrandus dictus fuit *Annal. fol. 121.*) defuncto, successit Adelbertus, qui gloriæ cupiditate adductus (sedente Leone Pontifice Maximo,) nec non Episcopatus sui amplificandi studio ac desiderio incensus, Episcopos duodecim suæ Iurisdictioni subijcere, qui se ei fideles ac obsequentes præstarent, atque hac ratione Patriarchatum Hamburgi constituere, (*Ad. c. 34.*) conabatur. (*Vide Adamum late cap. 34. & Annal. fol. 128.*) idque hoc facilius se efficere posse sperabat, quòd apud Imperatorem Henricum tertium Conradi II. Saliqui Filium, qui Canuti Regis Danorum filiam in matrimonio habebat, gratia & autoritate plurimû posset: & quòd Daniæ, Suetiæ, ac Norvvegiæ Pastor esset. Nam, teste Schafnaburgensi,

G

Adal-

Adalbertus, tum propter claritatem generis, tum propter ætatis atque Archiepiscopatus prærogatiuam, illum sæpius colloquendo, obsequendo, etiam atque etiam assentando, ita sibi Regem deuinxerat, vt cæteris Episcopis posthabitis, totus in eum inclinaretur, & ipse in Regno communi Monarchiam vsurpare videbatur. *Ad. c. 37. lib. 3.* Itaque apud finitimos, Suerinensem scilicet & Raceburgensem eam rem vrgere, & pro suâ, quam in Ecclesias Boreales habere se putabat, potestate, literas ad Pastores dare, eosq; sui officij commonefacere; Immò pro Imperio mandare, vt gregem Domini cui præsent, diligenter pascant, & eos, qui nondum Christo nomen dedissent, ad Religionem conuertant. (Albertus Archiepiscopus statim vt ingressus est Episcopatum, ad Reges Aquilonis pro amicitia Legatos misit. Epistolas quoq; monitorias per totam sparsit Daniam, siue Nordmanniam ac Suediam, & vsque in fines terræ, exhortans Episcopos & Presbyteros in illis partibus degentes, vt Ecclesias Domini nostri Iesu Christi diligenter custodirent, atque ad conuersionem Paganorum intrepidi accederent. (fol. 241. *Annal.*)

SVENO ESTRITIVS Vlfonis Filius, Rex Danie 70. Danie Regnum magno obtinuit labore, quod & contra Haraldum Norvegie Regem strenuè defendit: relicta consanguinea Gyuthapiam traduxit etatem. Roskildie sepultus. Obijt anno 1074.

Sed & Suenonem II. quem Estritium nominant, qui Canuti Magni Sororis erat Filius, pro eâ, quam se adeptum putabat authoritate, acriter reprehendere, & insectari, quòd multis annis concubinarum libidinibus sese contaminasset, & quòd tandem ijs posthabitis Gutham (*Gude nominant Annal. fol. 123.*) Consanguineam suam Regis Suetiæ filiam, in vxorem duxisset, & incestu sese polluisset. (*Vide hic Annal.*

fol.

fol. 124. quæ eam Guden nominant, & Historiam benè recensent, vt & Ada. lib. 3. cap. 12.) Quod cum Archiepiscopus factum exaggeraret, Regemque, missis Legatis, acriter increparet, & culparet, excommunicationisq; gladio, nisi ad frugem meliorem sese reciperet, eum persequi minaretur, (Ad. c. 12. lib. 3. & Annal. fol. 124.) Sueno grauitè stomachari & indignari cœpit, vsq; adè vt palam profiteretur, se has reprehensiones inultas non passurum, sed gladio persequuturum, & Parochiam Hamburgensem vastaturum & excisurum, (Ad. c. 13.) Insuper Religionem potius, quàm vxorem se deserturum. Quod vbi Archiepiscopus accepisset, minis perterrefactus recedere satius esse putauit, quam in loco maritimo & periculi pleno commorari. Itaque Hamburgo relicto Bremam migravit, eoq; Pontificatum transtulit. (Anno 1049. Aldenburghensis Ecclesia in tres diuisa est Episcopatus. Quod Imperatoris mandato factum non est, sed Magni Adalberti, Episcopi Hammenburghensis Archiepiscopi adiuuentione. Ille enim vir Magnificus & præpotens in Regno studuit Patriarchatus honorem adipisci. Vide plura cap. 22. apud Helmold.) Suenonem autem adè iracundiâ exarsisse ferunt in Albertum, vt nisi Gulielmi Episcopi Roskildensis auctoritate & persuasionibus repressus fuisset, voces minaces executioni proculdubio dedisset. Qui tamen tandem vbi ira deserbuisset, literis Pontificis flexus, & Sacerdotum admonitionibus, & precibus virorum bonorum locum reliquit, ac libellum repudij consobrinxæ dedit, (Ad. c. 13. 3.) eaq; repudiatâ, ad sanitatem redijt. (Ada. Sed dimissa Consobrina, alias vxores & concubinas accepit, & suscitauit ei Dominus inimicos multos, sicut Salomoni proprios famulos.) Ea paternos lares repetens, vidua reliquam vitæ partem exegit, & resipiscentiam testata est. Vixit autem, Giuthe repudiata à Rege Danorum propter consanguinitatem, in præ-

dijs suis trans Daniam, hospitalitati & Eleemosynis vacans, & cæteris operibus sanctitatis insistens. Quæ & Legatos Ecclesiæ Bremensis, à Rege Suetiæ repul-
 sos, magnâ reuerentiâ, quasi à Deo missos recipiens,
 magna per eos Xenia misit Archiepiscopo. *Ad. c. 16. 3.*
& Annal. fol. 124. 6. Sed & Ecclesijs multa largita est,
 eorumque Sacerdotibus ac Pastoribus. Inprimis Ec-
 clesiæ Roskildensi chlamydem, & alia ornamenta, ab
 ancillis, quas conduxerat, elaborata, quibus ad rem
 Diuinam vterentur, dono dedit, de quibus *Saxo la-*
tius lib. II.

(Anno Domini M. LV. fames multas regiones afflixit, ege-
stas & penuria vbique præualuit, multi Principes diuersa-
rum Prouinciarum perierunt. Annal. fol. 126.)

Infula sacra datur Siuardo à Rege potente.

Præfulis vt magni temnat vbiq; decus.

Ira cadit Regis dum Ancistes dulcia fundit

Verba, & sic longo tempore venit amor.

A. C. 1062.

Anno 1060. Rudolpho successit Siuardus in Epi-
 scopatum Slesuicensem, non quidem ab Alberto S.
 Romanæ & Apostolicæ Sedis Legato, nec non Sep-
 tentrionalium Nationum Archiep. ritu solenni con-
 secratus, sed Regis Suenonis II. efflagitatu in Anglia
 sacris fuit initiatus. Interea nondum ex animo odium
 Aduersus Adalbertum conceptum deposuerat Sue-
 no Rex, vt qui etiam Pastores plerosque ab exteris
 missos Ditione suâ pelleret. Albertus tamen, quod de
 Episcopatu tuendo ac amplificando mente conce-
 perat, ad exitum perducere satagebat. Cumque videret
 ac perspiceret, summo labore ac industria propter
 multa impedimenta se parum proficere, aliâ viâ rem
 adgrediendam statuit. Negotium ad Pontificem A-
 lexandrum II. defert, petitque vt is eâ de re Regem
 moneat, & quod factò opus sit vrgeat. Pontifex eius
 impul-

impulsu literas ad Regem Norvvegiæ dat, quarum hæc erat Summa; sibi tanquam Pontifici curam & inspectionem totius Christianitatis Ecclesiarum commissam esse; idque Regem non ignorare. Cum autem longius absit, & propter locorum distantiam omnia administrare & regere nequeat, eâ de causâ se munus illud Ecclesiarum inspiciendarum Archiepiscopo Hamburgensi commisisse, qui vicariam operam in illis regionibus, quæ Septentriones spectant, præstaret, & quæ reformanda sint, corrigeret. Exemplum literarum Romani Pontificis ex parte extat apud Abbatem Stadensem in suo Chronico his verbis:

Alexander Episcopus servus servorum Dei, Haraldo Northmannorum Regi salutem & Apostolicam benedictionem.

Quia adhuc rudes in fide existitis, & in Ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis: oportet nos, quibus totius Ecclesiæ est commissum Regimen, diuinis admonitionibus vos frequentius visitare: sed quia ob longam difficultatem viarum per nos hoc agere minime valemus, sciatis, nos Alberto (aliq̄ Adelberdo) Bremensi Archiepiscopo Vicario nostro hæc firmiter commisisse. Prædictus itaq̄, Archiepiscopus legatus noster, suis nobis est conquestus epistolis, quod Episcopi vestrae prouinciæ, aut non sunt consecrati, aut data pecunia, contra Romana priuilegia, quæ suæ Ecclesiæ sibiq̄, data sunt, in Anglia: vel in Gallia, pessimè sunt ordinati. Vnde ex auctoritate Apostolorum Petri & Pauli vos admonemus, vt, sicuti Apostolica sedi reuerentiam subiectionis debetis exhibere: ita præfatam venerabili Archiepiscopo Vicario nostro & vice nostra fungenti vos, vestriq̄, Episcopi impendatis &c. Extant quoque in eandem ferè sententiam literæ Gregorij ad Suenottonem apud Adam. libr. 3. cap. 20. Albertus lectis illis literis in Norvvegiâ, vbi tunc agebat, occasionem sibi datam existimabat, Regis Suenonis sibi propter repudium Consobrinæ adhuc infensi, reconciliandi, quo placato, ad id fastigium,

gium, quo contendebat, se peruenire posse existimabat. Slesuicum igitur sese recepit, vbi & propter loci commoditatem Synodum cogere solebat, & omnibus familiariter utebatur. Sueno Rex, qui Slesuici agebat, de Episcopi aduentu certior factus, eum inuitat, & splendido conuiuio acceptum liberaliter tractat. (c. 20. *Ada.*) Episcopus vicissim Regem lautè accepit, & quasi cum eò comestationibus & muneribus certauit, Archiepiscopalem potentiam Regalibus diuitijs anteposendo & præferendo. Et tandem, sicut mos est inter Barbaros, ad confirmandum pactum & foedus, dies octo continuos conuiuia agitata fuere. Ita Rex Episcopum ex inimicitijs in gratiam recipit, odio, quo hætenus illum persecutus erat, deposito. Cumque inter alia de Episcopis & Pastoribus in Daniâ constituendis, Archiepiscopus verba facere, & agere cœpisset: Rex satius esse respondit, si ad Ecclesiastica munera & ministeria vocarentur indigenæ, in Regno Daniæ nati & educati, quibus sermo Danicus vernaculus & notus esset, quàm exteri & alienigenæ, qui eius vsum nullum haberent: idque sibi placere. Ita enim Interpretibus opus non esse. Quæ cum ita sint, cupere se, vt in posterum Albertus, in Episcopis designandis & creandis, eius rationem habere, & indigenas exteris præferre vellet. Sed & de pace Christianorum, & paganorum conuersione actum & transactum fuit. Atque ita inter Regem & Episcopum conuenit, & discessum est, consentientibus animis, & rebus benè compositis. Sed & post id tempus, (*Ad. c. 33. 3.*) Adalbertus sæpe Regem ad Eidoram fluuium consistentem conuenit, eumque ad pietatem & studium Religionis cohortatus est; Rege omnia, quæ ab Archiepiscopo ex sacris literis proferebantur, notante, & memoriæ mandante, & ad ea vitam & mores componente. Quamuis de continentia
gula

gula & mulierum frustra illi concionatus sit, nec persuadere potuerit, quòd naturalia illis gentibus ea tempestate essent. Archiepiscopus etsi de Regis voluntate non dubitaret, tamen maioris firmitatis gratiâ, domum ad suos reuersus, author fuit Imperatori, vt Regem Daniæ euocaret, & cum eo fœdus ferret. (*Ada. vterque alteri perpetuam iuraret amicitiam, cap. 20.*) Cuius consilij obsequutus Imperator, fœdere cum Rege inito, cum sibi deuinxit. Vnde maximæ & amplissimæ commoditates ad Ecclesias Boreales redierunt. Nam Sueno ad exemplum Imperatoris & aliorum Principum fœderatorum, qui Christianam Religionem profiterentur, in deligendis Sacerdotibus Deique ministris, iudicio utebatur accurato ac maturo, vt non tantum eruditionem spectaret, sed inprimis etiam pietatem, vitæ castitatem, morumq; sanctimoniam & modestiam consideraret ac perpenderet. Ædes quoque sacras, templa & sacella, à fundamentis erigere, & collapsa sarcire & instaurare, magnis in eam rem sumptibus impensis ac collatis. Liberalitas verò & beneficentia eius erga Doctores & Sacerdotes maximè prædicanda est. Nam quartam, hoc est trientem Numismatis Regij: quartam item exactiōnis vel capitationis ciuium: & quartam æstiu census portionem Episcopo, qui eo tempore sederet, concessit & legauit, hac additâ comminatione, vt, si quis Successorum suorum, suæ voluntati de hisce donationibus & legatis contrauenire ausus fuerit, is diris deuouetur, & execrabilis sit. Ita Regnum Daniæ Religione ornatiùs & exultius reddidit Sueno. Ius quoque Archiepiscopi, consuetudoq; mittendi Legatos, & Episcopos in regiones Boreales confirmatum est solertia & studio Archiepiscopi, qui in demortui Bezelini, (*vt dictum supra circa ann. 1043. 27. Kal. Maij*) locum successus Suenonem diu relu-

stantem ac tergiuersantem tandem in suam sententiam pertraxit.

In Breuiario Slesuicensi, à Reuerendo in Christo Patre ac Domino, Domino Godschalco de Aleuelde, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Ecclesiæ Slesuicensis (& quidem ultimo) in lucem edito, memoratur historia admodum memorabilis, vereque admiranda, quæ tunc temporis contigit, dum Danis Anglia pulsis, Northmanni eiusdem imperio potiebantur: quam tum propter veritatem tum vetustatem, in laudem Beatissimæ ac gloriosissimæ Virginis Mariæ (cum liber iste breuiarius admodum rarus sit) hic ponere, fert animus.

ANCELMVS Cantuariensis Archiepiscopus & Pastor Anglorum, Coepiscopis suis & omnibus mysteria B. Virginis Mariae recolentibus, salutem & perpetuam in Domino benedictionem. Cum Conceptio veneranda Dei Genetricis Maria, Dilectissimi fratres quemadmodum per multa experimenta signorum in Anglia & Francia, cæterisque climatibus diuersis olim sit declarata, me narrante audiat dilectio vestra. Tempore namque illo, quo diuinæ placuit pietati, Anglorum gentem de malis suis corrigere, suæque serututis officiis arctius astringere, gloriosissimo Normannorum Duce V Vilhelmo, eandem primam debellando subegit. Qui scilicet V Vilhelmus, Rex Anglorum factus, Dei virtute & industria sua, totius Ecclesiæ dignitates & honores in melius reformauit. Cuius intentioni pia & operibus bonis inuidens ille bonorum omnium inimicus, tum familiariorum fraudibus, tum extraneorum incurisibus, conatus est eius obsistere successibus: sed Domino protegente, & timente se Rege & glorificante, ad nihilum redactus est malignus. Audientes autem Dani, Angliam Normannis subiectam, grauiter indignati sunt, se suo quasi hereditario iure priuari, arma parant & classem aptant, vt eos adeuntes à data sibi patria penitus expellant. Quo comperto, Rex prudentissimus, V Vilhelmum Helfimum

quen-

quendam Religiosum, Abbatem Remensiens. Cœnobij accersitum ad Daniam dirigit, vt huius rei veritatem inquirat. At ille, vt vir admodum sagacis ingenij, strenue negotium Regis exequitur. Quo fideliter peracto, ad Angliam reuerti cupiens, mare ingreditur, & iam maximam maris partem prospero cursu transierat. Tunc subito densis surgentibus vndiq; ventis, horrida tempesta cœlum commouit & vndas. Fatigatis igitur nauis, nec vltra valentibus obniti, fractis remis funibus ruptis, & cadentibus velis, spes salutis amittitur. Cumq; de salute corporum desperati, animarum curam solummodo magnis clamoribus Domino commendarent, & Beatam Dei Genetricem Mariam, miserorum refugium & desperatorum spem, deuote acclamarent, ecce subito conspiciunt quendam reuerendæ habitudinis virum, Pontificali insula decoratum quasi inter medias vndas naui proximum. Qui aduocans ad se Abbatem Helsingum, ait. Vis sanus ad patriam redire? cumq; ille se toto corde id solum desiderare responderet, ait illi Angelus. Scias inquit, me ad te à Domina nostra Dei Genetrice Maria, quam dulciter inclamasti, directum, vt si dictis meis obtemperaueris, saluus cum comitibus tuis, imminens maris periculum euades. Spondet illico se in omnibus ei obtemperaturum, si hoc euaderet naufragium. Promitte Deo & mihi, inquit ille, quod diem conceptionis, & creationis Matris Christi solenniter celebrabis, & aliis celebrandum predicabis. Ait ille, Quo tempore celebrabitur festum istud? Sexto ait, Idus Decemb. hoc festum solennisandum tenebis. Et quo, inquit Abbas, officio vtetur Ecclesia, & Ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, obsequium, quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur & in eius conceptione, excepto, quod nomen Natiuitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit. Et citius sedata tempestate, Abbas cū suis incolumis cōcito gradu applicauit anglicis littoribus. Et quæ viderat audieratq; quib. potuit intimaui, statuens diem Remensiēsi in Cœnobio celebrari & ipse, quoad vixit deuotis obsequiis celebravit. Et nos fratres, si portus

salutis volumus applicare, Dei Genetricis creationem & Conceptionem dignis officiis celebremus, ut ab eius benedicto filio digna mercede remuneremur. Hac ibi.

HARALDVS VII. Rex Daniae 71. Iuramenta litium decisoria introduxit. Obijt A. R. 2. 1080.

Regnante Suenone Haraldus, cui scelera Mali cognomen adiecerunt, Olai Regis Norvvegiae Frater, Constantinopoli, Fratrem mortuo, in Daniam rediens, Suenonem consanguineum regnantem reperit. Sueno Regnum Norvvegiae ferro acquisitum, Haraldo fidelitatis Sacramentum iuranti, dedit in beneficium, id pro Ducatu accipienti, quod is totum sese Suenoni submisisset. Haraldus ad suos reuersus, fretus eorum benevolentia & fidelitate, rebellare cepit, classemque 60. nauium adornauit, ac Daniae oras maritimas adortus, ferro & igne eosdem vastauit ac populatus est. Maximas tunc temporis clades acceperunt Arhusia & Slesviga. Nam Ecclesia Arhusiensis incensa conflagrauit, Ciuitas autem Slesuicensis direpta & vastata fuit. Rex Sueno terga vertit. Haraldus & Sueno quotidianis inter se praelijs, quoad vixerunt, contenderunt, Haraldus tandem in Angliam profectus est, vbi & caesus fuit. Ad. c. 13. 3.

C A P V T XVI.

S. CANVTVS III. Rex Daniae 72. Episcopis sessionem à Regibus proximam & Decimas attribuit. Othonia, Blaccone proditore, à Fionibus ante altare internecioni datus, Anno 1088. 10. Iul.

Mortuo Suenone, Canutus, qui propter pietatem & integritatem Sancti cognomen adeptus est, in